Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8184
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



capitis, siue anterius siue posterius remouet. cali
ginem oculorum tollit. spleni et iecori medetur, quarta
nam, tercianam et interpolatas febres interimit et
earum causas delet. De balneo spelunce

In istis terminis ultimum locum spelunca semper
tenuit ex re nomen habens, quia in spelunca lauacrum est.
Reuma et tussem sanat. ydropisim fugat. accidencia
cuiuscumque gutte remouet, et confortat cerebrum. posuit
galienus quod si quis quinque dragmas huius calentis aque
diebus singulis biberet ea que sunt subtus et supra dya-
frama curaret. De balneo finiculi

Ultimo tangenda est aqua finiculi sic dicta quod inter
mortuum mare, et misenum montem. inter multas
huius generis herbas scaturiat, uel quia finos, et acutos
oculos reddit. hic fons non dum formam balnei accepit,
nec propter distanciam loci satis experta est. Sed hoc compertum
habemus quod lipposos oculos abstergit, eorum ulcera sa
nat, maculas delet, et super omnes alias aquas uisum
acuit et declarat.

Surgunt preterea per totum sinum qui a falerno seu
postripo monte usque misenum interiacent multe
alie calentes aque. quarum uirtutes et nomina penuria,
uel magis incuria hominum oblivio possidet. fuisse tamen
efficacie magne, antiquorum lauacrorum forma, et ruina
demonstrat. Stant enim adhuc apud bayas mirifi-
corum operum quedam preclare reliquie, quas uetustas
abolere non potuit, sicut est illud maris mortui,